



APOLOGIAE

ERASMI ROTERODAMI OMNES, AD
uersus eos, qui illum locis aliquot, in suis libris, non sa-
tis circumspecte sunt calumniati.

- In Iacobum Lopim Stunicam apologia I.
In quendā, de loco qui est apud Paulum ad Corin-
th. I. cap. xv. Omnes quidē resurgemus &c. Quæ
recēs ab autore profecta, nunc primum omnium in
lucem prodijt apolog. II.
In Iacobū Fabrum Stapulensem apol. III.
In Iacobi Latomi dialogū apologia IIII.
In quendā pro dedamatione matrimonij apol. v.
De in principio erat sermo apol. VI.
In Eduardum Leum apol. VII.



BASILEAE APVD IOANNEM
FROBENIVM, MENSE FEBRV.
ARIO. AN. M. D. XXII.

In Libris Julii in Lugdun

IMAGO VITAE AVLICAE



APOLOGIA ERASMI

ROTERODAMI, DE LOCO TAXATO, QVI EST

in epistola Pauli ad Corinthios priore, Cap. xv.

Omnes quidem resurgemus, sed non
omnes immutabimur.



HOC LOCO Variabāt olim inter Græcorum codices, nunc constanter ut inter se consentiūt, ita à nostra uulgo recepta lectione dissentiūt. Siquidem in omnibus Græcorum codicibus, quos ego sanè uidi, uidi autem non paucos, scriptum habetur πάντες ἂν κοιμησόμεθα, πάντες δὲ ἀναγισόμεθα. i. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur. Nec est quisquam recentiorum, qui testificetur sibi diuersam lectionem esse compertam in Græcanicis exemplaribus. Latini codices habēt diuersam lectionem, nimirum hanc: Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur. Quod si cōstaret falsam esse Græcorum lectionem, atq; adeo, si sensum haberet hæreticum, quod longe secus esse certissimis argumentis docebimus, tamen ego nō merebar incessi cōuicijs, qui lectionis huius nō sum autor, sed interpretes duntaxat, imò culpandus erā, si secus uertissem, quàm habent Græcorū uolumina, præsertim cum non uno in loco clamē me nō statim damnare, quod habet æditio Latina, sicubi demonstro Græcorū libros diuersam habere lectionē, imò quū fatear aliquoties, quod nostri legunt mihi magis probari, quàm quod habetur apud Græcos. Ad hæc cum in annotationibus diligenter ostēdam, magnos & orthodoxos autores diuersæ lectionis meminisse, nec ullam tamen improbare: quum ostendam utranque sententiam non pugnare, neq; cum pietate Christiana, neq; cum ueritate doctrinæ euangelicæ. Hæc, inquam, cum à me diligenter sint procurata, tamen duo quidam ordinis Theologici primates & antesignani, sic hunc locū à nobis uersum incessuerūt, non ut dicerent me lapsum errore humano, sed ut uociferarētur me periculosam hæresim adducere, nec id inter pocula, aut familiaribus colloquijs, sed alter in publica Theologiæ professione Louanij, alter apud Angliæ regem cordatissimum, & Reginam mariti simillimam, circumstante frequenti procerū & eruditissimorū hominum turba. Et quores esset atrocior, dixit hæc prouolutus ad genua religiosissimorū principū, sublati in cœlum oculis & manibus, obtestans deos atq; homines, ut rātis ecclesiæ periculis occurrerēt, breui collapsuræ, ni celeri remedio prospectū esset. Quē ista non mouerent, præsertim cū hæc tam religiose proponeret, primū Theologus multo

multorum annorum, deinde senex, ad hæc Franciscani nominis, sed ex eorū ge-
 nate, qui se conuētales appellant, postremo episcopus, non à suffragiis & cōdu-
 cticius, sed uerus & optimi prouentus episcopus. Si nomen hominis adderē, nul-
 lam, opinor, illi facerem iniuriam, ac fortassis nec rem ingratā. Nec enim proba-
 bile est illum uelle clām haberi, quod ipse in tam celebri talium uirorū cœtu pro-
 didit. Sed tamen nomen supprimā in Apologia, quū ille meum nomē non sup-
 presserit in calumnia. Ac ne has quidē notas additurus eram, nisi putassem esse
 cauendum, ne suspitio uagaretur per multos alios innoxios. Ac summā hærese
 on mearum cōtraxit in tres articulos, quorū primum ex hoc loco sumpserat, aie-
 bat enim me tollere resurrectionē, quam uocem nemo poterat prima fronte se-
 cus accipere, q̄ Erasmus docere, nullam esse corporis resurrectionem, quum ille
 sentiret, quoniam nō improbo Græcā lectionem, quæ sentit non morituros eos
 quos aduentus Christi deprehendisset uiuos (non resurgit autem nisi mortuus)
 me tollere resurrectionem in illis duntaxat, quos existimassem non morituros.
 Quanquā huius sententiæ, ut non sum impugnator, ita nec propungator sum,
 sed uarijs aliorum sententijs recitatis, iudicij ius alijs defero, & tamen si pertina-
 citer hæsissem ei sententiæ, nemo mihi merito posset hæreseos crimine impinge-
 re, quemadmodum mox docebimus. Verum cum hoc calumniatore mihi nunc
 non est proprie suscepta dimicatio, nam & res uetus est, & ipse coram à doctissi-
 mis uiris manifestissime cōfutatus, uerius q̄ pudefactus temeritatis suæ pœnas
 dedit. At nuper Louanij utinam mihi liceret nihil addere, sed ne libera suspitio,
 permeet ad innoxium quempiā, paucis notis hominē designabo, ut eū agnoscat
 ceteri, q̄ recentē audire fabulā. Theologus est, eius ordinis, si nō autoritate, certe
 loco, qui datur, non ex eruditionis, sed ex annorū modo princeps, nominis Car-
 melitani, quamobrē nemo huius ordinis mihi uel pilo est iniucūdius. Hominē
 noto, nō ordinem maior annis quinquaginta tribus, ni fallor ipso corporis habē-
 tu. Is in lectione Theologica, eaq̄ ordinaria & publica, quā ipse merito uenera-
 bilē haberi uult, & ad quā cogit etiā accedere, q̄ Theologiæ sint cādidiati, quū ue-
 nisset ad hūc Pauli locū submonitus, opinor, à quopiā in symp. sio, meā additio-
 nē hic dissentire à uulgata lectiōe: Hic, inq̄t, Erasmus adfert hæresim, probat em̄
 contradictoriā eius, quod legit ecclesia, quod iuxta dialecticorum rationem hæc
 ex diametro inter se pugnent: Omnes resurgemus, & non omnes resurgemus,
 omnes immutabimur, & non omnes immutabimur. Quo conuicio, quum ni-
 hil sit atrocius, tamen quā præter omnem causam in me torserit, paucis expe-
 diam. Primum enim (ne disputem interim & Chrysostomo fuisse ecclesiā catho-
 licam, qui legi, quod hic hæresim uocat) si ut cœperam paulo ante dicere, Græ-
 corum lectio sine cōtrouersia sensum haberet hæreticum, tamen mihi non po-
 terat imputari, qui nihil aliud profiteor, q̄ interpretem, nisi forte dicēt Hierony-
 mo imputandum quicquid errorū Origenes admisit libris *αἰεὶ ἀσφαλτοῦ*, quod
 hos bona fide sicut ab eo scripti fuerāt Latinis auribus tradiderit. Quod si quis
 Hh 3 faceret

facere tentet, nullus, opinor, nō clamare hominē in Anticyras relegādum. Nūc quanto id factum est iniquius in me, qui non unā hanc lectionē, sed cæteras etiā in mediū adferam, qui nullā improbem, qui doceam multis orthodoxis, ac probatis autoribus hanc lectionē non displicuisse, quā iste uocat hæreticā. Nisi forte sensum hæreticum amplexus est Chrysoſtomus, & huius æmulus Theophylactus, qui nec legunt aliud, quā quod hodie legimus in Græcorū codicibus, nec aliud interpretantur, nimirū non morituros, quos ille dies uiuos offenderit, sed tamen unā cū resuscitatis mortuis, ad eandē immortalitatis sortem immutādos, ut his trāsitus ad immortalitatē sit uice resurrectionis. Nam hoc, opinor, toto sermone Paulus agit de resurrectione piorū duntaxat iuxta Græcorum sanē lectionem. Si quis mihi diffidit, utrunq; uolumē Græcū est in Bibliotheca Prædicatorū Basileæ Rauricorū. Quin & Origenes libro aduersus Celsum secundo uetustus, & cū primis grauis autor, adducit hunc locū iuxta Græcorum lectionē: Tuba, inquit, signū dabit, & mortui resurgent incorrupti. De uiuis autē immutādis, & à mortuis resurgētibus segregatim sic scribit: Et nos immutabimur, quod uti quæ dixit, ubi prius dixisset mortui resurgēt. Ex his, opinor, uerbis satis perspicuū est quid legerit, quid senserit Origenes, nimirū immutandos pios omnes, & qui reuiuiscēt ante diē aduentus mortui, & qui uiui deprehēdentur nō morituri quidem illi, sed tamen cū ihs, qui mortui fuerāt immutandi. Quod si Græcorū autoritas leuis est apud hunc, qui cū ago, qui mire semper fuit in sensu Græcis literis crebro iactitans ex hisce fontibus scaterere, quicquid nūc est malorū in orbe, nō cogitans ex his fontibus hausisse Cyprianū, Hieronymū, Ambrosiū, Augustinū ferē quicquid nobis dignū cognitu prodiderūt in literis Theologicis, certe prius quā hæc tā odiosa uerba depromeret, uel effutiret potius, cōsulere debuerat, uir tā grauis, & qui religionis columē haberi postulat, si quid Hieronymus, si quid Augustinus, si quid his recentior Thomas, si quid uulgatissimi cōmentarioli, qui falso Hieronymi titulo, sed neutiquā aspernandi ferūtur in omnes epistolas Pauli, denique si quid haberet glossa, quā uocant ordinariā super hac re prodidisset. Nā hanc ille solitus est habere familiarem, uelut ex eo Copiæ cornu nihil nō hauriri posset. Denique sciscitari debuerat ab ihs, qui hoc deferebant, quibus rebus adductus pposuissē eā lectionē, si usq; adeo contēnit meas annotationes, ut nuncquā à se lectas dānandas existimet. Primū Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrū recitat duplicē huius loci lectionē, & ita probat hanc, qua uulgo nūc utitur usus ecclesiasticus, ut nō improbet eā, quæ sola nūc residet in libris Græcorum, atq; etiā in codice mire uetustatis, qui est Romæ in Bibliotheca pōtificis, ne clamitet, ita ut solet, meos codices esse falsatos. Primum, ut dixi, Hieronymus in epistola, quā scripsit ad Minerium & Alexandrū, fatetur etiā in Græcis codicibus, duplicē fuisse lectionē, & hanc quā nos reddidimus ex fide Græcorum codicū, & eā quā usus habet ecclesiæ Latinæ. Theodorus, Heradeotes & Apollinarius sequuntur priorē, Origenes ac Didymus posteriorē. Sed Hieronymus inibi præfert

fert hanc lectionē, quā hodie codices habent Latini. Omnes quidē dormiemus, non omnes autē immutabimur: Fateor, sed uideamus, quæ ratio mouerit Hieronymū, ut hanc præferret, quanquā hāc ita præfert, ut alterā non reprobet. Quæ ratio si demonstrabitur infirma, nō debet plus habere pōderis apud nos autoritas Hieronymi, quā habeat ratio, quā ille sequutus est. Etenim si legamus: Omnes quidē non dormiemus, sed oēs immutabimur, putat parū cōgruere cū superioribus quod sequitur: Mortui resurgēt incorrupti, & nos immutabimur. Si em̄, inquit, omnes immutabuntur, & hoc cōmune cū cæteris est, superfluū fuit dicere, & nos immutabimur. Quāobrem ita legendū est: Omnes quidē dormiemus, non oēs autē immutabimur. Quā hic parū attētus fuerit Hieronymus ipsa res indicabit. Primū illud cōuenit, hoc loco dormiemus positū esse pro moriemur. Cæterū immutabimur alijs sonat transformabimur ad gloriosam immortalitatē, ut tantū ad pios pertineat: alijs trāfferemur ad immortalitatē corporis, ut simul & ad pios, & ad impios pertineat. Mihi uidetur hic Paulus agere de resurrectione piorū, ob ea quæ sequūtur: Cum autē corruptibile hoc induerit incorruptionem, & tūc fiet sermo, qui scriptus est. Itē ob ea, quæ præcesserunt: Hoc autē dico fratres, quoniam caro & sanguis regnū dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam. Atque huius sententiæ fuit Acacius Cæsariēsis episcopus, & Ambrosius noster. Quod si cui magis probatur, ut sermo sit generalis, & ad utrosque pertineat ordines, cum hoc non est animus digladiari, quandoquidē minimū refert, ad id quod nunc agimus. Quū igitur Paulus explicaturus modū resurrectionis dixisset, nō oēs quidē morituros (siue hoc dictū sit ppter Heliā & Enoch, siue ppter eos, quos aduentus Christi deprehēdet uiuos) sed tamē oēs immutādos ad immortalitatē, & eos qui reuixerint, & eos quos subitus aduētus Christi deprehenderit in uita, quod in genere proposuerat, pergit explanare distinctius. Perinde enim quasi quispiā interrogasset, qua ratione fiet, ut simul immutentur uiui cum mortuis, docet rem mira celeritate gerendā esse, nimirū ad nutū dei, qui omnia potest nō naturæ uiribus, quæ lēto molimine peragit, quod agit: In momēto, inquit, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet em̄ tuba, & simul utrunque fiet. Quod utrumque? Primū mortui reuiuiscunt, nec reuiuiscunt iterū morituri, sed iā incorruptibili corpore. Sed paulo ante Paule dixeras quosdam non morituros, quid de illis futurum est? Ad hoc respondēs: Et nos, inquit, immutabimur, siue ponēs seipsum inter eos, quos aduētus domini deprehēsurus esset in uita, siue personā illorū in se trāfferens docēdi gratia. Nō igitur superuacue repetitur, & nos immutabimur: Verū quod obscurius erat dictū: Sed oēs immutabimur, explanatius aperit, nominatim exprimes, qui sint nō morituri, & tamē immutādi. Quod si quis contēdat esse superuacuū, superuacue erūt omnes ferē demonstrationes Mathematicorū quibus explanāt exemplis, quod in genere docet regula. Itaque quū ratio Hieronymi nihil habet pōderis, nō debet illius autoritas quenquā admodū cōmouere hoc sanē loco, præsertim quū graues & eruditos autores nihil offenderit hic scri

pus, quo Hieronymus aliud, opinor, agēs uidetur offensus. Diuus Ambrosius è diuersa lectione uidetur eandem cū Græcis elicere sententiā, quod quidem attinet ad priorē sermonis particulā, legit enim hunc in modū: Omnes quidē resurgemus non omnes immutabimur. Ea uerba sic interpretat: Omnes resurgemus qui in aduentu Christi mortui inueniemur. Nō omnes immutabūtur, qui in corpore sint reperti, quia sancti soli beatitudinis gloriā cōsequētur. Eandē sententiā paulo post repetēs: Vel certe, inquit, simpliciter omēs mortuos resurgere dicit, & solos sanctos cū ihs, q̄ uiui iusti inuēti fuerint in gloriā immutari. Vides ut sciat quosdā in aduentu Christi nō morituros, uides eosdē cū ihs, qui ante dormierāt & reuixerūt immutādos ad immortalitatē. Vbi nūc est igitur illa ἐπιλογία, quæ ex sensu orthodoxo hæreticū faciebat: Priusq̄ hæresis uocabulū erumperet, debebat homo, ut uideri uult Philosophus, expēdere num qua nota uere cōtradictionis hic falleret, nisi forte contradictionem esse putat, si de duodecim apostolis dicā: Omnes Christo placent. Et de Carmelitis: Non omnes Christo placent. Verū est utrūq̄ proloquiū: Omnes resurgemus, & nō omnes resurgemus. Omnes resurgemus, si loquatur de ihs, qui mortui fuerint ante seruatoris aduentum. Non omnes resurgemus, si promiscue loquaris, de uniuerso mortaliū genere. Similiter æque uerū est, omnes imutabimur, & nō omnes immutabimur. Omnes immutabimur, quia trāfferemur ad immortalitatē. Nō omnes immutabimur, quia nō omnes consequemur gloriā immortalis uitæ. Sed fortassis calumniator hic meus, ut nihil tribuit Græcis scriptoribus, quod illi cū Græcis literis sit *κατονδος πόλεμος*, ita nō ita multū tribuit Hieronymo, & Ambrosio, quod Græcissent. Sed Augustinū opinor, non cōtemnet, tātō scholarum omniū consensu probatum doctore. Is in libro, qui illi scribitur titulo de ecclesiasticis dogmatibus, quū recitasset opinionē eorum, qui diceret omnes morituros, ac proinde resurrecturos, subiicit hæc uerba: Verū sunt & alij æque Catholici & eruditi uiri, qui credūt anima in corpore manente, immutādos ad incorruptionē, & immortalitatē, eos qui in aduentu domini uiui inueniēdi sunt, & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatē immutatione deponant, nō morte. Quo libet quis acquiescat modo, nō est hæreticus, nisi ex cōtentione hæreticus fiat, sufficit enim ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere de morte. Calumniator iste nihil contatus hæresim uocat, quod è Græco uerti, & Augustinus appellat eos æque doctos & catholicos. Vtri libet credere Augustino, an Suffeno: sit enim interim illi nomen hoc usurariū. Iam is, qui collegit cōmentariolos in omnes epistolas Pauli, tametsi falso tribuūtur Hieronymo, tamen uir, ut apparet, eruditus, qui ex priscais autoribus eos consarcinauit, meminit hoc loco trifariæ lectionis. Omnes quidem resurgemus, sed nō omēs immutabimur. Quam lectionem, quū sequatur Ambrosius, tamen Hieronymus negat inueniri in Græcis codicibus, quū in his inueniantur duæ reliquæ. Altera minimū ab hac dissonans: Omnes quidē dormiemus, sed nō omnes immutabimur. Tertia. Omnes quidē non dormiemus, sed

sed omnes immutabimur. Atq; hęc postremam maxime probat, ut apostolico sensui maxime cōgruentē. Deniq; diuus Thomas aquinas in cōmentarijs, quibus hanc enarrat epistolā, indicata duplici lectione, non solū non improbat eā quam habēt Gręci, uerum etiā negat in ea sensum esse hęreticū. Quis & Petrus Lombardus lib. 4. dist. 43. referens super hęc decerpta quędā ex Augustini lib. de Ciuitate dei. 20. cap. 20. neutram sententiā reiicit, sed admiscet de suo: Vellē inquit, de his potius audire doctiores, satis declarās se nihil illic uidere hęreticū. Ergo ne hęresim, quam uiri tam oculati non uiderūt, uidit lippus noster? Quid quod hęc lectio congruit cū eo loco, qui est in epistolę ad Thessalonicēses prioris cap. 4. Quando hęc est certissima clauis diuinę scripturę, locorū similiarū ac dissimiliarū collatio, ibi sic legimus: Nos qui uiuimus, qui residui sumus in aduentu domini, nō pręueniemus eos, qui dormierunt, quoniā ipse dominus in iussu, & in uoce Archęgeli, & in tuba dei descēdet de celo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui uiuimus, qui residui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiā Christo in aëra, & sic semper cū domino erimus. Neq; uero me fugit quosdā hic uiuos interpretari iustos, dormientes peccatores. Sic em̄ Origenes & huius imitatores nōnunq; sibi permittunt in scripturis arcanis ludere tropologijs, pręsertim quoties ad mores instituendos adhortātur, aut deterrent à uitijs, atq; item in cōmentarijs, in quibus uolūt esse summā libertatem proponēdi uarias opiniones, quo lectori suppeditetur cogitandi materia. Verū hoc cōmentum reiiciunt Appollinarius, ac Diodorus, teste Hieronymo, quibus placet uiuentes hic accipi nō iustos, sed omnes, quos aduentus Christi deprehēderit in uita. Alioqui si peccatores interpretemur iniustos, nō cōgruet illud, quod sequitur: Nos qui uiuimus nō pręueniemus eos, qui dormierunt. Etenim cū dicit: Non pręueniemus, significat utrosq; simul rapiēdos obuiā Christo in aëra; neq; enim iniusti rapiuntur in aëra obuiam Christo, sed iusti duntaxat. Ambrosius enim explanans hunc locū ex epistola ad Thessalonicenses, cōmentum adducit argutū magis, mea quidē sentētia, quā graue: In ipso, inquit, raptu mors proueniet, & quasi per soporem, ut egressa anima in momēto reddatur. Quum enim tollentur, morientur, ut peruenientes ad dominū, pręsentia domini recipiant animas, quia cū domino mortui esse non possunt. Atq; hoc sequutus uidet Augustinus, in loco quem modo citauī, quanq; ita recēnsens, ut non admodum fidere uideatur huic opinioni, quā ita proponit, non ut uelit eam esse certam, sed sat habet, si nō uideatur esse incredibile, quod adfert. Nunc nihil superest, nisi ut paucis excutiamus scrupulos, quibus offensi quidā ad huiusmodi cōmentationulas cōfugerunt. Quidā enim absurdum existimant, quū homines à moriendi necessitate dicantur mortales, aliquos ab hac eximere communi lege. Verum ea res nihil offendit Hieronymū, qui Marcelle quęrenti, utrum omnibus esset moriendum: an quos aduentus domini uiuos deprehēdisset, uiui ut erunt rapiendi sint obuiam Christo in aëra: Cum mortuus sit ipse dominus, cumq; in Apocalypsi

lypsi Enoch & Helyas narrentur esse morituri, respōdet illos non morituros, sed tamen à mortalitate ad immortalitē esse transformandos. Cæterum quod habetur in Apocaliypsi, nō ad historiam, sed ad mysticū sensum accipiendum, nisi placent & alia, quæ illic referuntur de templo ædificando, de hostijs immolādis, iuxta sensum carnalem interpretari, quo nihil esse possit absurdus. Hæc demittor latuisse tantū, ut haberi postulat Theologū, præsertim cum recitetur in uulgatissima rapsodia, quā uocant glossam ordinariā. Diuum Augustinū peculiariter mouēt illa Pauli uerba, quæ sunt in epistolæ ad Corinthios prioris cap. 15: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificabuntur, præsertim quū addat: Tu quod seminas non uiuificatur, nisi prius moriatur. Videmus enim hic Pauli sermonibus urgeri, ut credamus uiuos subito in ipso raptu mortuos ac reuicturos, quū mea sententia nihil sit necesse. Primum enim potest hic sermo accommodari ad eos, qui obdormituri sint ante seruatoris aduentū, quæ ad modum ostendimus ueteres aliquot orthodoxos interpretari sermonem illum: Omnes quidē dormiemus. Deinde Diuus ipse Augustinus, cuius uerba referuntur in glosa ordinaria, declarat huius loci sensum: Omnes, inquit, in Adam moriuntur, omnes in Christo uiuificantur, quia nemo ad mortem, nisi per illū: nemo ad uitam, nisi per istū, quia sicut per Adam omnes mortales & poena facti sunt filij seculi, ita per Christū omnes immortales in gratia fiūt filij dei. Hactenus Augustinus. Mori dicuntur, qui ob primi parētis culpā nascuntur mortales, & uiuificari dicuntur, qui beneficio Christi fiūt immortales. Porrò mortalitas, & immortalitas cadit & in illos, quos aliquo casu contigerit non mori. A nōnullis adducitur & illud, quod est in epistola ad Hebræos: Statutū est omnibus hominibus semel mori: Si omnibus statutū est mori, nullus igitur nō moritur. Ad quod bifariam responderi potest. Primum huiusmodi generalibus sententijs non excludi priuilegia paucorū. Nec enim ideo fur fuit & latro sanctus Esaias, quod Christus dixerit in euangelio: Omnes quotquot uenerunt fures sunt & latrones, sed tanta erat bonorū prophetarum ac doctorū paucitas, ad phariseorum & pseudoprophetarū multitudinem collata, ut omnes dixerit, plurimos: ut tam paucos pro nullis habuerit. Rursus non ideo Petrus ac Barnabas sua compēdia Christi negotio prætulit, quia Paulus scripsit, omnes quæ sua sunt quærunt, nō quæ Iesu Christi, sed de plerisque Christū insincere prædicantibus dicit, omnes, quod per pauci essent, qui sic prædicarēt, ut ipse prædicabat. Nec ideo Nathā propheta declinauit à recto, & inutilis factus est, quia psalmographus scripsit: Omnes dederunt, simul inuites facti sunt. Nec ideo falsum est, quod scripsit Apostolus: Omnes peccauerunt, & egent gloria dei, quod Christus fuerit immunis ab omni peccato, & per hunc uirgo mater, si quibusdā id plausibiliter asserentibus est habenda fides: Quum igitur ex tot seculis duo tantum legantur subrepti morti, Enoch & Helyas, & paucissimi futuri sint illi, quos subitus ille aduentus deprehēdet uiuos, præsertim quod bonam hominum partem iam absumpserit afflictio Antichristi,

DE LOCO OMNES QUIDEM RESVRG.

Antichristi, pestilentia, fames, terræ motus, nulli uidentur ad immensam multitudinem, quæ tanta serie seculorū toto terrarū orbe mortis tyrānidē cessit. Deniq; hi quilibet pauci mortales erant, etiā morituri, nisi casus illos eripiat morti. Hac, inq; , ratione dissolui poterat, quod obicitur ex epistola ad Hebræos, cuius in termini autoritati nō derogamus, sed largimur perinde ualere, quasi à Paulo scripta fuisset. Poterat & ita responderi. Paulum non illic agere de necessitate moriendi, quam nemo mortaliū possit effugere, sed hoc agit, ut intelligamus homines, qui communi lege nascentiū moriuntur, nō mori nisi semel, neq; iam post mortē semel obitam quicq; restare, nisi ut pro semente, quā quisq; fecerit in uita, messem faciat. Atq; hanc rem omniū sensu comprobata & confessam, accommodat ad docendum Christi mortem, qua redemit hominū genus, nuncq; esse iterādā, nec aliam hostiā expectandā pro peccatis humani generis. Nec aliud restare, nisi ut qui hic in corpore humano apparēs semetipsum immolauit patri, moriens in cruce, idem suis appareat gloriosus & inclitus in aduentu supremo, iudicem omniū acturus, qui prius seruatorem omniū præstiterat, quod quidē in ipso fuit. Est enim hæc una ratio deprehendendi uerū scripturæ sensum, si diligenter obseruemus, quid agat illic, qui scripsit. Simili ratione diluetur & illorū scrupulus, quos offēdit illud Pauli: Tu homo quod seminas, nō uiuificatur, nisi mortuū fuerit. Nec enim hoc agit hic Paulus, ut ostēdat neminē non moriturū, sed ut adhibita similitudine à rebus humanis, omniū sensui notissimis, doceat non esse incredibile, quod euangelica doctrina pollicetur. Etenim si quotidie uideamus omnes frigidū & aridum granū mortuū, ac terra ueluti sepultū, posteaquā computruit, ceu rediuiuū, emergere, primum in herbam tenerā, ac succulentam, mox in maturā segetem, idq; iuxta cōmunem ordinē naturæ, quæ dubitemus de dei promissis, qui nostra corpora quamlibet humo putrefacta, sua peculiari uirtute reuocaturus est ad uitā, ac statū etiā feliciorē. Hoc igitur agit illic Paulus, quod multis uidebatur incredibile, ut semel mortui reuiuiscerent. Porro an pauci per occasionē sint subducendi necessitati cōmuni, minimū habet momenti ad humani generis summam. Sunt quos & illud uidetur mouere, quod quū resurrectio sit præcipua pars fidei Christianæ, non conuenire lectiōnē, aut sensum hic ancipitē habere, utinā nihil esset huiusmodi in diuinis literis, sed non ita uisum est Christo. Alioqui non tot locis sudarent tot eruditissimi uiri, in uestigandis & erudiendis sacrorū uoluminū sententijs. Sed hoc loco ut tollatur ea lectiō, quā habent Græci codices, & indicant ueteres orthodoxi, hæc ipsa, quā hodie sequitur ecclesia Latina, sensum habet ancipitē, quemadmodū in superioribus demonstrauimus ex diuersa ueterū interpretatione. Quancq; hūc quoq; scrupulū discussit Augustinus, negās opus esse, ut certo sciamus omnē resurrectionis modum, satis esse si credamus mortuorū corpora reuictura, unaq; cum anima, quā prius habuerant reuiuiscāt, in æternū, uel fruitura gaudijs, uel luitura pœnas pro meritis ante actæ uitæ. Nec aliam fore sortem eorū, quos aduentus domini deprehenderit

prehenderet in uita, siue morituri sint, ac mox immortalitati mutandi, siue in illo
 mortis interuentu, à mortalitate ad immortalitatē transferendi. Vtinam omnes
 qui nomine Christiano censemur, tam hoc habeamus indubitatum, quod citra pe-
 riculum dubitare licet, quid deus fieri uelit de ijs, quos uiuos ille dies deprehen-
 det. Hæc habui lector optime, quæ mihi in præsentia succurrebāt aduersus tam
 insignem ac publicam calumniā. Quorum si nihil legit ille, qui pronunciauit hæ-
 resim, quid detestabilius tanta supinitate in publica ac Theologica professione
 si legit, quid peruersius, aut maliciosius, quod tale cōuicium contra conscientia euo-
 mere in fratrem. Multum oportet interesse inter Theologicam professionem &
 grammaticam, aut poëticam. At quis unquam audiuit tam cæcā petulantia in scho-
 lis eorū, qui literas humanas, & istorū iudicio ridiculas, profitentur. Is mihi in fa-
 ciem dixit, quod poëtæ & Rhetores mentiuntur omnia. Sed hoc Theologi fa-
 ctum, quo nomine donabimus? Si me blateronem, aut tabulā uocasset, præter
 omnem causam, quis probus non execratus fuisset impotentem hominis male-
 dicentiam? præsertim quū nullam adferret probationem? Imò quū nec illa mea
 legisset, quæ damnabat? Nunc uir eximius, totius religionis exemplar, qui ma-
 trologi uocabulum, qui quendā à prandio largiore subuidum, citra nominis
 ipsius inuidiā subnotatum, existimet omni suppliciorū genere uindicandum, pe-
 lam in sacra lectione proximo suo hæresim impingit, adeo cæcus odio, ut ne pu-
 dore quidē emendetur, quū uideat quoties huiusmodi uoces effutit, effutit autē
 penē quotidie alios ridētes, alios manifesta uultus indignatione testantes eā nō
 esse digna schola Theologica. Quid autē istos pudet dicere in cōpotationibus
 suis, qui non uerētur huiusmodi uoces euomere in publicis ac Theologicis præ-
 lectionibus? Oraculū uideri uult quicquid dixerit, & huiusmodi uoces non cōti-
 net, quæ uix Orestes effunderet. Atque interim sibi uidetur egregie sanctus purat
 suis humeris inniti ruiturā ecclesiam catholicā, putat totius eius regionis mores,
 ipsius doctrina uitaque reddi meliores, tali lingua prædicare euangelium, tali ore
 quotidie consecrat & sumit sacrosanctum illud Christianæ concordia Symbol-
 lum. Equidem non damno, quod pallio candido tegitur, sed adfirmo leuius pec-
 caturum, si pro candido sumeret nigrū, aut etiam uiridū, quàm si tam atrocibus
 mēdacijs denigret famam proximi. Imò minus impius esset, si pro Helia pallio
 sumeret togā Labracis flauū, aut Thraconis chlamidē purpureā & macherā ma-
 nu circūferret, quod nunc quū religiosa ueste tegens animū, homicidā linguam ge-
 rat teli uice ueneno tincti. Non reprehēdo, quod Mercurij die ab esu carniū ab-
 stinet, sed arbitror hoc, in quo Meuius ignoscit, apud deū esse detestabilius Leui
 ore piaculo roderet uel in Veneris die carnes leporū & caporū, quàm rodit ac
 lacerat proximū nihil promeritum. Nō occidit quemquam gladio, sed istud homici-
 di genus est, hoc fortasse sceleratius, quo paratius simul & impunitius. Non tol-
 lit quēquam ueneno, sed istud cumprimis execrabile ueneficijs genus est, linguæ
 nitulencia fraternam animam petere. Qui odit fratrem suū, inquit. Ioannes, ho-
 micida

DE LOCO, OMNES. QUIDEM RESVRG.

micida est, & homicida nō est, qui lymphatus odio, sic fertur in famā benemerētis. Sic debacchatur in uitā alienā (nam fama uel ipsa uita preciosior est) ut nec suæ famæ iacturā metuat, dum noceat alienæ. Qui dicit fratri suo fatue, reus est gehennæ. Si reus est gehēnæ, qui fatuo dicit fatue, quid præmij meretur is, qui præter omnē causam hæreseos insimulat innoxium, de omnibus benemereri cupientē. Nec aliud agit iste uir pius, nisi ut mihi adēpta autoritate apud studiosos inueniat fructū studiorū, quæ certe mihi nō desudo, sed utilitati publicæ, cuius rei Christū testem ac iudicē habeo. Sed interim periculū est, ne hisce rationibus nō sibi modo, uerū etiam ordini Theologico deterat opinionē, si pergāt homines, ex hoc Coryphæo cæteros æstimare, ne sibi cōflet odiū apud eos, in quorū odium me conatur inducere. Siquidē quū hæc, quæ dicit, palam stolidi sint & impia, quis auditorum non apud se stomachetur, ita cogitans; pessime sentit hic de suis auditoribus, quos aut tam stolidos arbitratur, ut nō uideāt hæc falso dici, aut tam improbos, ut tam impudentibus sycophantijs delectentur. In scholis qui dissentiunt ab autore quopiam, ita demum laudantur, si citra conuicium rationis eius quem redarguunt melioribus rationibus superent. Hanc modestiam præstant & hi, qui philosophiam ethnicam profitentur, ipsi parū Christiani & homo Theologus arcte religionis professor, & collapsæ monasticæ disciplinæ instaurator, tam insignem linguæ petulantiam sibi permittit, imò sibi plaudent, sic abutens organo in usum longe alium destinato. Atq; hic est, qui bullas & edicta principum extorquet aduersus libellos, quos ipse uocat irrisorios, quasi talis lingua non sit quibusuis libellis pestilentior. De hoc hominum genere scripsit Psalmographus: Venenū aspidum sub lingua eorum, non dixit in pyxidibus eorum, quantū nec eo curent quidam, sed sub lingua eorum, ubi tutissime occultitur, & facillime depromitur. Sed huius querelæ iam modus esto, neque enim hæc in alium finem scripsi, nisi partim ut me purgarem, si quis tamen tam indoctus est, ut calumniā tam manifestaria moueatur, partim ut, si fieri possit, ipse semet agnoscat, ac resipiscat, suiq; pudeat Meretur illius improbitas, ut nomen etiam literis mandetur, nec deest ratio, quæ suadeat hoc fieri, nimirum ne suspicio aliquos innoxios aspergat, quod utiq; uitabitur, si certus autor suo titulo pronuncietur. Sed apud suos, opinor, iam his notis agnoscitur, apud posteros aut procul semotos, quid habiturum sit momenti, si cognoscāt Suffenum quendam, nam finge hoc illi esse nomen, sic delirasse. Utinam ignoretur uitiū, modo mutetur. Utinam ille sic se gerat, ut laudare cogar emendatū, de quo nunc queri cogor, tam diu, tã impotenter de-

a bacchante

hacchante in proximum. Valeat hoc Christianorum genus, quod
 charitatem à religione separat, quod contra Iacobi doctrinam lin-
 guam effrenem cum pietatis titulo copulat. Nos istis neglectis si cor-
 rigi non possunt meliora sectemur. Vale lector.

F I N I S.



ARGVMENTVM APOLOGIÆ SEQVENTIS.



N uersu psalmi octau: Minuisti eum paulo minus
 ab angelis, quem Paulus in epistola ad Hebræos
 cap. secundo Christo accommodat, Erasmus anno-
 tarat ex Hieronymi sententia apud Hebræos esse,
 non ab angelis, sed à deo. Cæterum septuaginta uer-
 tisse ab angelis, sed in utraque lectione obitare scrupum,
 quod nec à deo paululū uideatur imminutus, qui mortale cor-
 pus assumpserit, nec ab angelis, cum plurimum interfit inter mortale
 & immortale, imò infra infimos homines fuisse diminutū, incolumi
 semper Christi dignitate, qui plus malorum passus sit, quàm quisq;
 hominum. Eum autem scrupum tolli, si paulominus, quod Græcis
 est *ἡραχύτι* ad temporis modum referatur, quo Christus uersatus est
 in terris, usque ad resurrectionem, quemadmodum interpretantur
 omnes Græci Theologi. Faber contendit non posse legi, nisi
 à deo. Cæterum falsum & impium esse sermonem, & Chri-
 sto deoque indignissimum, si quis dicat deum ab
 angelis diminutum, aut infra homines, quod
 tamen hætenus Latina pariter ac Græ-
 ca legit ecclesia, & uniuersi utriusque
 linguæ doctores sequuntur,
 nisi quod unus Hierony-
 mus annotauit à deo legi Hebræis,
 licet non improbens alteram lectionem.

Erasmus

